



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Præfatio ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)



Præfatio ad Lectorem.

Cuilibet seridè discutienti, quanta religiosus incumbat obligatio perfectionem vocationi ac statui suo convenientem assequendi, & morosius reflectenti, quam parum fors hæcenus in ea profecerit; non potest non fieri aliquis horror salutarisque metus ob rationes ideo districto Judici reddendas oboriri. Remedium ad tempus præteritum juxta Apostoli monitum redimendum, futurumque ac præsens melius impendendum, non inuenies efficacius; quam si impostero saltem studeas dici cujuslibet opera actionesque omnes secundum tempus, modum, ordinem, exactiõnemque præscriptam peragere, atque in iis implere voluntatem Deï *bonam* (faciendo quod vult Deus) *beneplacitam*, quia vult, & *perfectam* quomodo vult. Cum hac ratione sensim sine sensu passionem perfectioni remorem injicientes edomare, & in virtutum semita progressum de die in diem facere possis. Hinc liber hic trifariam divisus, quomodo instituto Societatis conformiter opus de die quodlibet reipsa peragendum sit, plerumque S. Scripturæ verbis edocebit *in primâ sui*

sui

sui parte. Adjectâ hinc inde animadversione aliquâ, in quibus, si v. g. exercitiorum tempore eas loco considerationum ruminas, videbis compendium observandorum ab homine Societatis, & solida pro totius vitæ decursu principia inculcari. Cùm autem perfectionem virtutumque exercitium vel maximè foveat ac consolidet, atque ad quotidiana opera meliùs peragenda mirè exstimulet perpetua mentis nostræ cum Deo conjunctio. Hinc *in secunda parte* ipsis plerumque S. Script. verbis utpotè inter omnia efficacissimis ostendetur, quomodo exereenda sit continua mentis in Deum elevatio, & ad salubria documenta reflexio ex omnibus, quæ intellectui ac sensibus per diem infra ac supra nos in mundo terraqueo occurrere possunt, ubi pro re nata non negligentur ea, quæ serviunt ad te in fide unice salvificâ confortandum, & consequenter fortiùs Deo summo bono, ultimòque fini tuo uniendum. *Tertia Pars* complectetur ea, quæ vel quotidie non peraguntur, vel fusiori explicatione indigent, ut sunt meditatio, Confessio, Sacrum, horæ Canonice, Visitationes sanctissimi Sacramenti, solidæ devotionis exercitia erga Deum Triunum, Beatissimam Virginem Deiparam, Angelos sanctos, misericordiæ opera erga defunctos ac vivos, & demum tum quotidiana tum proximior ad mortem bene obeundam præparatio. Ecce totam œconomiam.

PARS